


LTERI PAVLLI


E SOC : JESV

ORIS THEOLOGI,

IQVISSIMO, AC CE-
MO ARCHIGYMNA-
NNENSI THEOLOGIÆ
TICÆ PROFESSORIS

THMOMETRA
LYRICA.





AFFECTVS

EVCHARISTICI,

PIETATI FERDINANDI TERTII IMPERATORIS,

ANNO CHRISTI M. DC. XL.

FVNDATÆ SOCIETATIS IESV,

CENTESIMO

GVALTERVS PAVLLVS.




SCOPVS AVTHORIS; STYLI RATIO; ARGVMENTVM OPERIS.



FERDINANDE CÆSAR

A Spice libellum hunc PIETATE, non IVSTITIA. Iuſtus liber videri non poteſt AVGVSTISSIMO: pro tantâ Majeſtate nimis eſt exiguus. Pius videbitur AVSTRIACO; quia EVCHARISTICVS. Sermo quo ſcribitur humilis eſſe debuit; cum Deo agitur: facilis; affectus quæritur: breuis; ſapienti ſcribitur. Abſtruſa vocabula etſi aurea, non quæro; libenter intelligor. Ab omni



Gen-

Gentilium impietate abſtineo; quia PIETATI ſcribo. Quid nobis cum Dijs, Deabuſque qui Chriſtiani ſumus? ſi in veterum Poëmatijs, non poteſt aurum à ſcoriâ ſeparari; malo puritatem fidei, quam linguæ. Alij, aliter ſentiant. Malo Dauidem imitari, quam Homerum. Poëtarum antiquiſſimi Linus & Orpheus, quòd Deos laudarint, Theologi; quòd Deos finxerint, Poëtæ dicti ſunt. Non ambio Poëtæ nomen.

Heliconidasq; pallidamq; Pyrenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederæ ſequaces.

Principis Apoſtolorum veſtigijs inſiſto. NON ENIM DOCTAS FABVLAS SECVTI, NOTAM FACIMVS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI VIR-

VIRTUTEM, ET PRÆSENTIAM: SED SPECULATORES FACTI, ILLIUS MAGNITUDINIS. 2. *Pet.* 1. Speculati uã profiteor. Nemo vitio vertet, quòd versiculos scribo Theologiæ consultus; scripsit Gregorius qui per excellentiam dictus est Theologus: quòd Rhythmos; scripsit Thomas Theologorum Princeps: quòd Rhythmometra; audio Dauidem hortantem, CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM. Appellabunt qui antiquæ gentilitatis retinentiores sunt, stylum hunc Ecclesiasticum. Fateor esse majoris operæ, quam gloriæ. Difficillimum est in latinis versiculis nobiles Rhythmos metris astringere, cum facilitate, gratiaq; sermonis. An assecutus sim nescio.

Difficillimam istam facilitatem Critici vocabunt torturam ingenij. Vocent martyrium, per me licet. Pro Christo susceptum est, in testimonium fidei, & in obsequium SACRÆ CÆSAREÆ TVÆ MAIESTATIS, cui me Deus & natura seruum fecit. Annus est nonus, fateor, quo AFFECTVS EVCHARISTICOS premo. Hoc, quia fundatæ SOCIETATIS IESV centesimus est, erumpunt. Si cui arrideat, poterunt non solum carmen ECCLESIASTICVM dici, sed & SECVLARE Cæterum facilis, difficilis, qualis qualis est vena, SACRATISSIME CÆSAR, tota Tua est; Tibi fluit in laudes Dei. Ante aliquot annos, dignata est MAIESTAS TVA iubere, vt CANTICVM NOVVM ANIMI

SALI-

SALIENTIS IN DEVM, quod manu scriptum obtuleram, typis ederem. Sequuntur hi AFFECTVS EVCHARISTICI año seculari fundatæ SOCIETATIS; vt sit hæc pro innumeris, ijsq́; ingentibus â SACRA CÆSAREA TVA MAIESTATE, DOMOQVE AVSTRIACA collatis in Societatem IESV beneficijs, quædam EVCHARISTIA, hoc est, gratiarum actio. EVCHARISTIA (inquam) Tibi enim Familiæq́; Tuę instruitur epulum PIISSIME CÆSAR Eucharisticum. Rex epuli CHRISTVS: Rudolphus Austriacæ felicitatis progenitor, ferculum infert de venatione suâ: infimum ego mancipium, mensam erigo, eamq́; ne nuda appareat candidis his, & vario emblemate inscriptis folijs, velut

lineo operis Belgici ſtromate, pro meâ tenuitate inſterno. Ne dedignare, CÆSAR, iſtud à me ſeruitij. Natus videor vt ſacroſanctæ EVCHARISTIÆ ſeruiam; in eâ Imperij Tui parte, in quâ annua Corporis Chriſti Solennitas originem accepit; eo die qui Corpori Chriſti tunc ſacer fuit. Fortè & in Auſtriam me duxit Deus; vt per AFFECTVS EVCHARISTICOS Auſtriacæ PIETATI ſeruiſſem. Id ago.

RV-

RVDOLPHI PRIMI FACTVM INSIGNE, QVO IMPERIVM IN AVSTRIACAM DOMVM INTVLIT.

EO ipso anno, quo VRBANVS QVARTVS Pontifex CORPORIS CHRISTI Festum instituit, RVDOLPHVS PRIMVS ob exhibitum CORPORI CHRISTI singularem honorem, futuræ sui in Imperatorem electionis vaticinium accepit. Is fuit annus 1264. Vno nimirum eodemq; consilio Deus Sacrosanctam EVCHARISTIAM Ecclesiæ Catholicæ vt FESTIVVM SOLEM; Domui Austriacæ vt FVNDAMENTVM posuit. Solidè fundantur regna vbi non est fundum. Fortuna Austriaca in OR-

re ſtat cujus centrum Devs : potuitne altiùs ſtabiliri? Erat tunc Rudolphus ex Regum ſanguine Comes Habſpurgicus : magnitudine animi Atauis, & præſente fortunâ major. Habebat, impreſſam animô excellentiſſimam de Majeſtate Numinis opinionem : hinc timor, & reuerentia; ſenſus erga SS Evcharistiam cum quadam amoris ſuauitate, teneros. Hæc via, hi gradus fuerunt ad Imperivm. Idæa Principis, Deus eſt. Is veram Principis formam habet, in quo relucet Deus. Qui rerum euentus humanâ regulâ metiuntur terreni homines, putabunt agendi prudentiam, bellicam virtutem, corporis ſpeciem Imperium Rudolpho peperiſſe. Et ijs ſanè

ſanè ornamentis aptabatur Im-
perio: diuinius tamen aliquid
in eo inuenire voluit DEVS, quod
coronaret. Imperia à DEO ſunt.
Dauid in paſcuis eligitur, Ru-
dolphus in ſyluis. Solitus erat
venando otium perdere, & ob-
lectando ſe aſſueſſe laboribus.
Eo quo diximus anno, die qua-
dam verſanti in ſyluis, viſa eſt
audiri campanula. Minimo ſi-
gno attentus ad Dei obſequium
animus, erigitur. Sylua erat:
SPIRITVS VBI VVLT SPIRAT. Agi-
tabantur feræ: Sæpe reperta eſt
ſalus, vbi non quærebatur. Eti-
àm ex ceruorum cornibus Chri-
ſtus Hubertos, & Euſtachios vo-
cat. Vbi ex pulſu viſum eſt Sa-
croſanctum Christi Corpus ad
ægrum ferri, poſito ſtatim ve-
nabu-

nabulo Rudolphus sonum se-
quitur. Compositi est animi,
oblectamenta pari facilitate po-
nere, ac assumere prout ratio
vult. Sonum sequitur, vt Deum
assequatur: opinor per compen-
dia. Non est quâ ad Deum itur
trita communisq; via: per spi-
nas & tribulos eundum est. Ibat
Rudolphus per auia syluarum.
Nunquid dixit alicui famulo-
rum vide tu, vbi sit? quo defe-
ratur? sciebat Reges etiam, &
Monarchas Deo (vt ita loquar)
Feudatarios esse, & Homagium
debere. Vestigat ipse, ipse inda-
gat; & ex venatore factus Ceruus,
ad aquas venit. Fluuiolus erat,
quem positis calceis Parochus
vadare parabat; vt agenti ani-
mam rustico, Sacrum Viaticum
acce-

accelerarct. Bonum ſanè Paſtorum AQVÆ MVLTÆ NON POTVERVNT EXTINGVERE CARITATEM. Hic Rudolphus ex equo in terram abjectus, Chriſtum in Hoſtiâ præſentem humiliter adorat; ſacerdoti oneris pretioſi bajulo equum reuerenter offert, ſubmittit, fortè & aſcendenti frænum, aut ſtapedem tenet. Nihil ſibi vile putabat, quod Deo honori eſſet, Vadato fluuio, ægro recreato, dato viatico, ſacerdos functus officio boni Paſtoris reuertebatur. Rudolphus Chriſtum abeuntem oculis fuerat & affectibus proſecutus; ſibiq; gratulabatur, quòd Dei obſequio equum melioris notæ, quo ipſe vtebatur conſecrâſſet: ratus Deo optimo, optima deberi. Expectabat vt

rede-

redeunti famularetur, ex equite pedissequus. Redijt: famulatus est: itum ad Parochiam. Nobiles gressus! sequere Rudolphe, sequere præeuntem Deum; quot passus, tot coronæ. Re peractâ sacerdoti equum restituenti absit (inquit) vt quem Deus equum, sessione consecrauit, ego prophanatum eam. Equus hic, Dei est: vtatur Ecclesia ad vsus Dei. Donatione factâ: ne Ecclesiæ graue esset alere; alendo censum constituit, censumq; voluit esse perpetuum, vt equus semper ali ad sacros vsus, & emi posset. Deus immortalis quot in facto vno virtutum exempla! quot documenta! Multum refert, quo quis animo Deo seruiat: an liberali? an reuerenti? an deuo-

deuoto? an humili? Deus non pensat donum, sed affectum. Rudolphum ex toto corde, ex totâ animâ, ex totâ mente, ex omnibus viribus honorem illum exhibuisse persuadet Dei in remunerando promptitudo, & stupore digna munificentia. Sequenti statim die de IMPERIO oraculum accepit. Erat in Monasterio Fare quod inter Tigurum & Aquas situm est virgo Deo sacra, grandi natu, Rudolpho sanguine propinqua: ad hanc cum visitandi caussâ venisset; exclamat virgo, Macte animo Rudolphe, edidisti hesternâ die facinus Deo gratissimum, futuris olim seculis memorandum. Christum honore prosecutus es; honoraberis tu vicissim à Christo

Ru-

Rudolphe: decreuit ille tibi honorem, quem optare potes inter homines ſummum. Vide quam liberali Domino ſeruijſti. Ne vanum putes oraculum; notes in decurſu temporis numerum nouenarium; experiêre vaticinij veritatem. Dixerat: obſtupuit Rudolphus Virgini ſolitudinem profitenti factum heſternum innotuiſſe; & quia viſa eſt diuino afflata ſpiritu vaticinari; auidus futuri, expectat quid nonus ferat dies: quid hebdomada nona: quid menſis nonus. Cum nihil apparuiſſet, depoſita eſt memoria oraculi, & cura futuri. At ecce anno poſt prædictionem nono (fuit is annus 1273) die S. Michaëli ſacro, 3. Cal: Octobris, præter omnem

omnem expectationem, annitente maximè Archiepiſcopo Moguntino, communibus ſuffragijs FrancofurtiRomanorum Imperator renunciatur. Audite Dei prouidentiam admirabilem. Sacerdos ille cui Sacroſanctam Euchariſtiam deferenti, Rudolphus equum donârat, factus Archiepiſcopo Moguntino, à ſecretis, & officijs diuinis, apud ipſum Moguntinum, alioſque Imperij Electores Rudolpho opinionem Herois, Imperio præ cæteris qui in Germaniâ eſſent longè digniſſimi, conciliârat: tum virtutum aliarum, tum ſingularis erga SS. Euchariſtiam, (cujus feſtiuitas ijs temporibus inſtituebatur) deuotionis commemoratione. Illudq; accidit admi-

admiratione dignum, vt Aquisgrani quando coronabatur; hic ipse Sacerdos ex officio assisteret, & fortè coronam Archiepiscopo traderet imponendam Rudolpho, à quo equum acceperat: & vt Rudolphus tunc etiam tenerum suum erga Christum affectum alio facto declararet. Nam cum sceptrum ad manum non esset, arrepto crucifixo; hoc inquit sceptro quo Deus dominatur, contra Dei hostes vtar, & Imperii. Sunt hæc stupore digna. Non stetit tamen hic Dei remunerantis prodigalitas. Vt ostenderet SS. Eucharistiam omnium bonorum fontem esse: alia insuper, & quidem omnia summa in Rudolphum congessit, prodigiosa quadam munificentiâ.

SVMMAM in gubernando felicitatem. Imperium quod factionibus discerptum ad exteros transierat, Germaniæ restituit: illudq́; hostibus, tyrannis, latronibus oppressis, in optimam formam reduxit.

SVMMAS VICTORIAS. Victo celebri prælio, occisoq́; Ottocaro Bohemiæ Rege, Augustissimam Domum Austriacam condidit. Quatuordecim quibus cum hostibus certauit conflictibus, semper victor.

SVMMAM fæcunditatem. Ex prima conjuge sex filios sustulit, septem filias.

SVMMAM sanguinis dilatationem. Ex filiabus, Mechtildis Electori Palatino; Agnes Electori Saxoniæ; Hedvvigis Electori

Bran-

Brandeburgico; Iutha Regi Bohemiæ; Catharina Regi Hungariæ; Clementia Regi Neapolitano nuptæ: vt in Europâ vix ſit familia Princeps, quæ Rudolphi ſanguine non glorietur.

SVMMAM Dominationis amplificationem. Præter Imperium, Regna plurima, eaq; ampliſſima: Indiæ, & nouus mundus ad Dominia Auſtriaca acceſſerunt. Regiæ familiæ Burgundica, Hiſpanica, Luſitanica aliæque in familiam Auſtriacam ingreſſæ, AVGVSTISSIMÆ euaſerunt.


SVMMAM fortunæ conſtantiam. Imperium quatuor jam ſeculis in poſteritate maſculâ Rudolphi, magno cum ſplendore ſedet, ſedebitq; ſpero quamdiu

in

in orbe Euchariſtico ſtabit.

SVMMAM, quod caput eſt, deuotionis erga SS. Euchariſtiam conſeruandæ transfuſam in poſteros religionem; vt hæreditaria dici poſſit. Longum eſſet memorare Maximilianos, Carolos, Philippos, Ferdinandos, præcedentium ſeculorum Heroes. Recentiſſimâ memoriâ de Ferdinando Secundo vulgare diuerbium fuit, quod in honorandâ SS. Euchariſtiâ nunquam laſſaretur. Vidimus intra Octauam Corporis Chriſti, cum in vnâ ſupplicationum, ex geſtatione facis dextera ei manus intumuiſſet; ſequenti die ſuſpenſâ ex collo dexterâ facem offerre metuentibus, porrectâ ſiniſtrâ dixiſſe; EN ALTERA QVA DEO

SER-



SERVIAM; facemq; arripuisse, & gestâsse sine tædio. Audiuimus (pauci sunt dies) Archiducem Leopoldum Guilielmum, Fraterni Ductorem exercitus, in Salfeldt oppido, frendente qui in conspectu erat toto Suecico exercitu, inter tormentorum hostilium ictus (ô solennem explosionem!) cum SS. Euchari-stiâ processisse; deposita ex lecto vela cum alia deessent in vmbellam erexisse; detractum è collo militarem baltheum, Crucifixo adornatum imposuisse. O Austriacum Heroem! Quid, quod & Infantes hæreditariæ deuotionis sensus tangat. Rem stupendam! Filiolus tuus Philippus Augustinus, Ferdinande Cęsar anni vnius & dimidij Infans,

auditâ campanulâ quâ indicatur SS. Christi Corpus per plateas deferri, notârat Præfectam in genua procidisse, manus junxisse, pectus tutudisse, & ab eâ audierat Christum deferri. Infanti necdum balbutienti hæc dicta, & ostensa putabantur; Austriaco Principi dicta erant: hæsit animo deuotiò. Post multos dies, auditâ iterum campanulâ, cum mensulæ accumberet, & adstantium nemo ad sonum animum aduerteret, aduertit solus: memoriâ, an instinctu? non disputo. Tunc, mirabile dictu! à se cibum remouere, manus jungere, pectus percutere, gestire quasi flectere vellet, aut sonum sequi, vt olim Rudolphus: indicare deniq; SS. Eucha-

 risti-

riſtiam deferri. Mirabatur Præfecta geſtus, ac reuerentiam: ſed vbi æris campani ſonum aduertit, tunc planè ſtupefacta arreptum in brachia Infantulum, per feneſtram Sacerdoti qui SS. Euchariſtiam deferebat, obtulit, vt benedictionis ſigno muniretur. Dignus Infans longiore vitâ! Immo dignus quem facto illo nobilitatum, & facti ſimilitudine cum Rudolpho comparabilem, DEVS amore captus, raperet, peruigilio feſti Corporis Chriſti: reſtituturus tamen anno proximè ſequenti, qui nunc decurrit, ſub idem Corporis Chriſti feſtum LEOPOLDVM IGNATIVM, ingentis animi Principillum. Si hæc Filioli, quid Parentes? De TE, INVICTISSIME CAESAR, etſi

mul-

multa possum, ne molestus sim, nihil loquor. Loquetur DEODANTE (ita præsagit animus) magnum aliquid, loquetur FERDINANDE TERTIE, de Te posteritas. Sit interea Orbis Eucharisticus, Imperatoribus Austriacis, quorum Imperium fundauit, pro orbe siue globo Imperiali: hunc manu teneant. Sit PANIS hic Austriacæ Domus firmamentum: hanc sustentet. Dicatur Austriaca Domus altera BETHLEHEM, DOMVS PANIS. Dicatur Austria Germano nomine, non jam Österreich; sed Hostyreich Hostiæ Imperium. Hæc Hostia Diuinissima centrum est, ad quod tredecim jam ex Austriaca Domo Imperatores, Cæsaream Majestatem quodam deuotionis pondere incli-

nant. Etsi rotunda, stabilis tamen est terra, quòd partes in se mutuo, vt in centrum connitentes sese affirment. Si quæratur quid Austriacis Principibus siue Alemanis, siue Hispanis, sit SS. Eucharistia?

Quid

ALEMANIS?

ALÆ MANVS.

Quid.

HISPANIS?

HIS PANIS.

Si quæratur deniq; cujus PANIS

EVCHARISTIA?

ANAGRAMMA.

HIC AVSTRIAE.

IN-

INVITATIO CHRISTI.
VOX DILECTI MEI.

ECCE ISTE VENIT SALIENS IN MONTIBVS, TRANSILIENS COLLES. SIMILIS EST DILECTVS MEVS CAPREÆ, HINNVLOQVE CERVORVM. EN IPSE STAT POST PARIETEM NOSTRVM, RESPICIENS PER FENESTRAS, PROSPICIENS PER CANCELLOS. EN DILECTVS MEVS LOQVITVR. *Cant.* 2.

VENITE AD ME OMNES QVI LABORATIS, ET ONERATI ESTIS, ET EGO REFICIAM VOS. *Matth.* 11.


VENITE AD ME: vox amantis. VENITE OMNES: omnium Tu primus es, accede CÆSAR. OMNES QVI LABORATIS: labor maximus Imperium eſt. ET ONERATI ESTIS: Summus honos, ſummum onus; Tibi Cæſar orbis incumbit: non ſunt mortales humeri portando


pares. Coronarum Imperij, vna ferrea; grauem altera crucem sustinet; tertia diuisum orbem. Ferrum, Crux, Diuisus orbis, hæc sunt quæ grauant. Sustinendus est animus. EGO REFICIAM, inquit: ac si dicat, ego humeros orbi; caput oneri supponam. Potens inuitatio! ipsa Christi HVMANITAS rogat. Rogari tu Christe debueras: sed quis hominum est qui rogare possit, nisi præuenias? VENITE (inquis) trahe potius. Quomodo dicis VENITE, qui dixisti, NEMO POTEST VENIRE AD ME, NISI PATER QVI MISIT ME, TRAXERIT EVM. An trahi venire est? Mira res: esurimus, Panis proponitur, & trahi debemus. Non sunt vt video cœlestes, quales terrenæ deliciæ.

liciæ. Terrenas corpus proprijs oculis, vt amabiles videt; hinc prosequitur. Cœlestes, animus per corporis oculos, infectum ac fragile vitrum, vt emortuas aspicit; hinc trahi debet. Trahe igitur, trahe me post te bone IESV, & curremus. Quî curremus, si onerati? Leuiter fertur quod Deus portat. IVGVM MEVM (inquis) SVAVE EST, ET ONVS MEVM LEVE. Quid non inuenis amantissime IESV: onus nostrum, tuum facis; VENITE OMNES QVI ONERATI ESTIS. Quis ausit dicere non oneror? onus est, quicquid hominis est. Corpus animum, animus seipsum grauat. Multum oneratur qui multum desiderat, etiamsi nihil ferat. Ipsá leuitate grauatur animus. Non

ſentire, lethargus eſt. Rerum cupidi quo magis onerantur, minus ſentiunt. Corporis ſenſibus hebetatur animus. Cœleſtes delicias multi credunt: pauci ſapiunt. Plures ſunt, quibus ſenſus eſt hæreticus; quàm quibus intellectus. Cœleſtia putare inſipida, inſipientia eſt longè maxima. Nulla pejor ignorantia quam neſcire bonum ſuum. Vertamus animum quocunq; libuerit omnium tandem rerum faſtidium eſt prætérquam DEI. Continendus appetitus; ſuperanda concupiſcentia. QVI HABET AVREM AVDIAT QVID SPIRITVS DICAT ECCLESIIS. VINCENTI DABO MANNA ABSCONDITVM, ET DABO ILLI CALCVLVM CANDIDVM, ET IN CALCVLO NOMEN NOVVM SCRIPTVM, QVOD NEMO SCIT, NISI QVI ACCIPIT

pit. *Apoc. 2.* Manna ab-
sconditum; Christi Corpus interpretor: calculum candidum; candidi PANIS orbiculum: nomen nouum; nomen DEI, quod nunquam veterascit; cujus dulcedinem nemo sapit, nisi qui comedit. Chaldæorum sapientes tribus Iod, siue I, intra orbiculum formatis, subscripto Camets, quod litteram latinam F jacentem, proximè refert, nomen DEI exprimebant. Fortuitũ sanè est quod Tuum FERDINANDE TERTIE nomen abbreuiatum, isto DEI nomine figuretur, prostratâ capitali nominis Tui litterâ sub Numinis Majestate.





Non

Non ſum qui Myſteria faciam, vbi non ſunt. Dico fortuitum eſſe: ſed nihil vetat ex caſu, conſilium capere. Potes AVGVSTISSIME CÆSAR, quoties nomen Tuum vides, DEI meminiſſe. Ne quære nomen TVVM, niſi vt inuenias nomen DEI. Dum Corporis & Chriſti communione frueris, mare ingrederis. Memento maxima quæq; flumina, dum mare intrant, amittere nomen. Euchariſtiç orbiculo inſcriptum eſt nomen Chriſti. Iſtud eſt nomen quo obſtricti Principes Auſtriaci DEO debent gloriam Domus ſuæ. Coram SS. Euchariſtia proſternere ſeſe, Chriſtianum eſt. Regna, Coronas, Imperia SS. Euchariſtiæ per gratos AFFECTVS, accepta referre, Auſtriacum eſt. Id hic agitur,

AVSTRIACI AFFECTVS EVCHARISTICI.

SIVE;

HYMNI

PRO ADORANDA

SS. EVCHARISTIA

PRINCIPIBVS AVSTRIACIS

DEDICATI.

FERDINANDO III.

JMPERATORI AVGVSTISSIMO PRO ADORANDA SS. EVCHARISTIA

HYMNVS.

Panis albâ nube tectum
 Adoro lumen:
Immo lucis architectum,
 Deíque numen.
Quis hunc requirat
Sub Panis albi sphærulâ;
Qui claustra cœli cærula
 Nutando gyrat?

Matre Lunâ procreatum
Adoro Solem;
Lumen illud increatum,
Deiq́; prolem:
Mihi benigni
Quæ ſolis inſtar naſcitur,
Et cor meum depaſcitur
Amoris igni.
Ecce Panis, ecce velum
Amoris ædes:
Parvus orbis, grande cœlum,
Deiq́; ſedes.
Hic gratiæ, favores,
Et mille privilegia,
In hac amoris regiâ
Regnant amores.
Hac ab aulâ ſceptra Reges,
Ab hac Toparchæ
Jura ſumunt, atque leges
Mundi Monarchæ;

Nul-

Nullis vel oris,
Vel finibus comprenditur;
Sed undequaque extenditur
Hæc vis amoris.
Auſtriorum Chriſte Panis,
Paniſq; dulcis!
Ex amoris piſte granis!
Tu regna fulcis,
Tu nos amâſti
Amore verè regio;
En regno privilegio
Quo me beâſti.
Cordis ergo te medullâ
Mei repone,
Panis orbis, aurêa bulla
Meæ coronæ;
Submitto faſces,
Sis paſtor, & nutricius,
Per te regam feliciùs
Me quando paſces.

Agnus es tu; te repoſtum
Candente diſco,
Teq; amoris igne toſtum,
Te concupiſco;
Tu grande munus;
Tu mille mî pro laureis;
Præ mille Mundis aureis
Es ORBIS VNVS.

SYMBOLVM EVCHARISTICVM

Orbis Euchariſtiæ in pectore
Aquilæ Imperialis.

EPIGRAPHE

VNVS SVFFICIT.

MA.

MARIÆ IMPERATRICI
AVGVSTISSIMÆ
PRO ADORANDA
SS. EVCHARISTIA
HYMNVS.

O QVI ſub hiſce ſignis,
Sub Panis accidentibus,
Prunis velut candentibus
Ardes amoris ignis,
Adoro te.
Vt æſtu anhela cerva
Relinquit alta montium,
Et quærit vndas fontium;
Te quæro facta ſerva
Perdendo me.

Amoris vſta tædâ
Quæro boni compendium;
Pro fonte, quæro incendium;
Delector eſſe præda
Ardendo te.
O eſca fons amoris!
Adjuro te ſolenniter,
Vt ardeam perenniter,
Micâ tui ſaporis
Incende me.
Me Pane, me ſub iſto
Abſume me, Divinitas;
Exurget hinc affinitas,
Nam veſci amante Chriſto,
Eſt eſſe te.
Parum eſt quòd à me ameris,
Sum fumus, vmbra, ſomnium:
Sed tu Creator omnium,
Tu me latendo quæris;
Et ecce me.

En

En Imperî corona
Meis marita crinibus;
Cum terminis, & finibus,
En regna Chriſte prona
Sunt ante te.
Caput tuum corono,
Quæ tu dediſti præbeo,
Pro te, tibi me debeo,
En memet ipſa dono,
Habeto me.
Quid me, quid iſta curo;
Te dando, tu das omnia;
Res cæteræ ſunt ſomnia;
Sat eſt amore puro
Amare te.
Eſt vna Chriſte gemma,
Quam conjugali fœdere
Dignatus es concedere,
Fert Imperîq; ſtemma,
Ornatq; me.

O clause, sub rotundi
Candore Panis, vnio;
Procul sit inforunio
Fac ista gemma Mundi,
Fac oro te.
Vt re fruar cupitâ;
Annos meis expungito,
Annis mariti jungito,
Præ me meâq; vitâ
Quem diligo.

SYMBOLVM EVCHARISTICVM

Hostia sacra sub tiarâ Imperatoriâ.

EPIGRAPHE

VNI.

MA-

MARIÆ ANNÆ
SERENISSIMÆ
ELECTRICI AC DVCI
BAVARIÆ
PRO ADORANDA
SS. EVCHARISTIA
HYMNVS.

ANIMA mêa quid moraris?
Deus Amor eſt in aris;
Eſt Euchariſtus
Sub Pane Chriſtus
Condus ſui cruoris,
Promuſq; amoris.
Cereris quod vmbra celat,
Deus animæ revelat;

Quid ergo quæris ?
Quid intueris ?
Verbum latet ſub illo
Panis ſigillo.
Sacer amat hoc Cupido,
Amat hoc latere nido
Amoris Agnus,
Deuſq; magnus :
Quod credis eſſe velum,
Eſt Anna cœlum.
Deus hoc in orbe ludit,
Et amoris igne cudit
Cœli ſapores,
Meros amores ;
Pluitq; dulce manna ;
Quid quæris Anna ?
Latet ibi dulcitudo,
Mel, & ipſa mellitudo,
Odorq; ſtactis,
Saporq; lactis ;

Eſt

Est saccharata canna;
Quid quæris Anna?
Paradisus est bonorum,
Et abyssus est amorum;
Sub Panis esu
Cor est Iësu;
Et hoc Amor tyranne
Rapis cor Annæ.
Rapis & cor, & medullas,
Vbi Pane me satullas:
Dulcis tyrannis,
Quæ me tot annis
Sub azymi figuris
Nutris, & vris.
Citò, citò pectus vri
Volo amoris igne puri;
Venito amor mi;
Ferito cor mî;
Ferito cor sagittis
Quas Pane mittis.

Deus

Deus hocce Pane tectus,
Parat involare pectus,
Liquens in ore,
Stillans amore,
Occure, ne recede,
Cor esto prædæ.

SYMBOLVM EVCHARISTICVM

Hostia sacra in pyxide sacrā

EPIGRAPHE

M ANNA

CÆ-

CÆCILIÆ RENATÆ
SERENISSIMÆ
REGINÆ POLONIÆ
PRO ADORANDA
SS. EVCHARISTIA
HYMNVS.

SVB Panis albi frustulo,
Sub hoc amoris crustulo,
Mea quem deperit
Anima reperit;
En Christus inter lilia
Tibi Cæcilia.
Sub his farinæ floribus,
Christi sacris ardoribus,

Amor

Amor excoquitur,
Silet, & loquitur;
A me, meipſam ſevocat,
Allicit, evocat.
Amoris eſt, nunc ſentio,
Amoris hæc inventio:
Dape quæ capitur
Animus rapitur,
Se paſcit, & me deficit;
Ita ſe reficit.
Cur Chriſte? cur ſic delites?
Stupent amorem cælites;
Volat Angelica
Turba famelica,
Summo ruunt ab æthere
Animæ cæteræ.
Dum te per vmbras intuor:
In mille flammas induor,
Meus his jaculis
Amor, his faculis

Vt

Vt igne cera ſolvitur,
Ita provolvitur.
Cedant oportet cælites,
Hic Chriſte pro me delites;
Cibus, & potus es;
Meus hic totus es;
Suo fruantur æthere
Animæ cæteræ.
Nunquam cor hinc avellitur,
Fames enim non pellitur:
Amo, non ſatior;
Edo, non patior;
His expleor cupedijs;
Sed ſine tædijs.
RENATA jam renaſceris,
Nam pane vitæ paſceris:
Tibi cor moritur,
Amor exoritur,
Fit cordium communio,
Deus eſt vnio.

Si

Si nexus est Divinitas
Per quem fit hæc affinitas;
Vel eo nomine,
Iterum Domine
Me Panis orbe cingito,
Iterum stringito.
Laudabo te tam gnaviter,
Amabo te tam suaviter,
Amor vt videat,
Et vt invideat;
Eritq; semper filia
Tibi Cæcilia.

SYMBOLVM EVCHARISTICVM

Hostia sacra, in Lunulâ Monstrantiæ.

EPIGRAPHE

SOLI RENATA.

SER-

SERENISSIMO ARCHIDVCI
LEOPOLDO GVILI-
ELMO

PRO ADORANDA
SS. EVCHARISTIA
HYMNI TRES.
ACTVS FIDEI.

ADORO te manentem
Sub azymo Divinitas;
Adoro te latentem
Amoris ô infinitas.
Sub ſigno adoro prolem,
Verbum, Deiq; filium;
Sub vmbrâ adoro ſolem,
Sub flore panis lilium.

Ado-

Adoro claritatem
Sub involucro nubium;
Sub veste veritatem,
Sub annulo connubium.
Sub farre conjugatam
Cum carne Verbi hypostasim;
Vinoq; inebriatam
Adoro amoris ecstasim.
Sub micâ adoro missum
Quem coxit alma Trinitas;
Sub guttâ adoro abyssum
Quâ mergitur Divinitas.

ACTVS SPEI.

Amoris ô abyssus!
O sanctitatis lilium!
Summiq; digna byssus
Vestire Regis, filium!
O gratiosa dona!
O esca delectabilis.!

O orbis

O orbis! ô corona!
O Panis admirabilis!
Tui libenter eſu
Frui meum cor videro;
IESV veni, ô IESV
Te quæro, te deſidero.
Te quæro (ſi faveres
Amantium dulciſſime)
Et langueo, quid hæres
O ſuavium ſuaviſſime?
Te ſpero quando ſpiro,
Suſpiro te, te centies,
Et millies requiro,
O quando mî conſenties.

ACTVS CARITATIS.

Veniſti, & attuliſti
Sub Pane IESV cor tuum;
IESV tuum tuliſti,
Sed abſtuliſti cor meum.

Amo

Amoris obſtupeſco
    Abſorptus in ſilentio;
Et ardeo, & liqueſco,
    IESV mori me ſentio.
Per hos enim ſapores
    Tuo, meum cor jungitur;
Inter tuos amores
    Vivendo, vitâ fungitur.
Si tam ſuave nectar
    Sub Pane IESV depluas,
Huic rurſus ore nectar,
    Per os, vt in cor defluas.
In ore te repones,
    Votis ero concordibus;
Si mille corda dones,
    Amabo mille cordibus.

SYMBOLVM EVCHARISTICVM

Hoſtia ſacra in Monſtrantiâ.

EPIGRAPHE

HIC SCOPVS.

PRO SERENISSIMIS

ARHIDVCIBVS

FERDINANDO ET

MARIA ANNA

HYMNVS

EVCHARISTICVS.

O MI JESV Chriſte,
  Panis Euchariſte,
  Panis ô amoris,
  Mellei ſaporis;
Dulcè vis amari;
  Nil ineſt amari;
  Nil ineſt acerbi,
  Hac ſub eſcâ Verbi.

Pane

Pane te concludis,
Et latendo ludis,
Exhibeſq́ue mecum
Tu te amorem cæcum.
Condis hic theſaurum,
Hic amoris aurum,
Et ſub his figuris
Ignis inſtar vris.
Flamma ſeſe pandit,
Quando lingua mandit,
Teq́; mens adorat,
Vt cor intres orat.
Oro, cur retardor
O amoris ardor?
Cara flamma, tu me
Ignefac, abſume.
Vertar in favillas,
Inq́; amoris ſtillas,
Quando tam benignè
Paſcor hoc ab igne.

Hoc

Hoc ab igne vivo,
Meque corde privo;
Vivo de te Iësu,
Panis hujus esu.
Semper opto mecum
Hunc amorem cæcum;
Vt frequenter esus
Vivat in me Iësus.

SYMBOLVM EVCHARISTICVM

Hostia in quâ imago parvuli Iesu.

EPIGRAPHE

OMNIBVS OMNIA.

ARCHI-

ARCHIDVCI
LEOPOLDO IGNATIO
INFANTI CÆSAREO.

HYmnum non pono. Ipſemet Hymnus eſt, quem Auguſtiſſima Mater intra OctavamCorporis Chriſti, in lucem edidit. Euchariſtulus eſt; meras gratias ſpirat. Vagitus ejus Rhythmi ſunt.

A, A. O, O.

His laudatur Deus, qui de ſe dicit EGO SVM α, ET ω. Noñe Chriſtus Alpha noſtrum eſt? & orbis EuchariſticusOmega quoddam? Ignes amoris in hocHymno quæris? IGNATIVS eſt; editus anno centeſimo fundatæ à Sancto IGNATIO Societatis Ieſu. Felix ſeculum, quod tam feſtivis ignibus, tam pretiosâ gemmâ clauditur, TANTO IGNATIO.

AVGVSTISSIMÆ MATRIS PRO SERENISSMIS PROLIBVS AD SACROSANCTAM EVCHARISTIAM VOTVM.

IESV ſub hiſce donis,
Sub azymi candoribus,
Tu te meis amoribus
Album, ſcopumq́ue ponis,
Petendo me.
Et quando tela mittis,
In te Deus quem diligo
Meos amores dirigo,
Reciprocis ſagittis
Petendo te.

Sub PANE te latentem,
Te quæro ſplendor Numinis,
Sed tanti ad vmbram luminis
Oportet obſtupentem
Hærere me.
Regina ceſſit Auſtri
Ad Salomonis gloriam:
Hanc tu refers victoriam,
Albi ſub orbe clauſtri
Claudendo te.
Sum victa; pro tributo
Vin' Chriſte me? me prendito;
In cor meum deſcendito;
Hoc PANIS hocce ſcuto
Defende me.
Hac protegente parmâ,
Munitus hiſce ferculis,
Vltra columnas Herculis
AVVS tetendit arma,
Ductore te.

Sic

Sic perge nos amando,
O Auſtriæ ſpes vnica;
Te Cæſari communica,
Te Chriſte FERDINANDO
Conſorte me.
Proleſque, noſq; ſerva;
Conſerva amorem mutuum;
Volo tuorum nutuum
Fidelis eſſe ſerva,
Amando te.

SYMBOLVM EVCHARISTICVM

Hoſtia ſacra radioſa inter tres roſas.

EPIGRAPHE

VN SOL.

CORONIS

CORONETVR Auſtriacorum Principum Euchariſtica Deuotio, PIETATE AVGVSTISSIMÆ IMPERATRICIS ELEONORÆ. OMNES MATREM AGNOSCVNT. Imitatione Deiparæ, dici poteſt MATER PVLCHRÆ DILECTIONIS. Religione virtutibuſq; viuit in eâ FERDINANDVS SECVNDVS. In honorandâ SS. Euchariſtiâ non laſſatur. Sit Hymnus ejus, PRO CORONA. Erit FERDINANDI CONIVGIS, FERDINANDO FILIO PRO MEMORIA.

-OO ·S·

ELEONORÆ IMPERATRICI AVGVSTISSIMÆ PRO ADORANDA SS. EVCHARISTIA HYMNVS.

ADORO te ſuauis
Præ melle PANIS hoſtia;
Quæ ſacra pandis oſtia
Amoris aurêa clauis,
Adoro te.
Tu gratiæ cibilla,
Tu vena ſanctitudinis,
Omniſque dulcitudinis
Es vber, & papilla
Cibando me.

Quando ſupra meum cor
Te ponis vt ſignaculum,
Fit maximum miraculum;
Mihi rapis meum cor,
Donando te.
IESV meum cor vnus
Amoris arcem poſſides;
Et vt mihi des obſides,
Das temet ipſe munus
Prædando me.
Te ſumo, me rependo;
Damus viciſſim mutuum,
Ego meum cor, tu tuum;
Sic memet ipſa vendo
Emendo te.
Sed tu parum lucraris
In hoc amoris cambio;
Nam nummo amoris, ambio,
Sumpto tuis ab aris
Ditare me.

Amaſ-

Amaſque poſſideri,
Et me libenter prodigo,
Sed cor meum pro prodigo
Nunquam poteſt haberi,
Lucrando te.
Quid hîc amor vereris?
Accede confidentiùs,
Fac vt DEVM frequentiùs
Albo ſub hoc lucreris
Perdendo me.
En vt volant columbæ
Ad alba turris culmina,
Et inde rident fulmina;
Sic ô amor recumbe,
Et paſce te.
Hanc nacta amoris eſcam,
Gementis inſtar turturis,
Et omnis expers murmuris
Libenter hic quieſcam,
Oblita me.

Libenter esse mersam
In te DEVS me videro;
O CHRISTE me desidero
In te videre versam, ab-
sumendo te.
Veni, veni, veni ergo
O sacra amoris hostia;
Perfringe cordis ostia,
Tuo me amore mergo,
Submerge me.
Libens carebo corde,
IESV tuo si fixero.
Si tota de te vixero;
Libens carebo corde
Contenta te.

SYMBOLVM EVCHARISTICVM

Hostia sacra in fauo mellis,
quam Rex apum adorat.

EPIGRAPHE

L'ONORA ò GVSTA.

PA-

PATERNÆ PIETATIS
HÆREDI
FERDINANDO III.
IMPERATORI

FERDINANDI II.
IMPERATORIS
PRO ADORANDA
SS. EVCHARISTIA
HYMNVS.

PANIS orbe te ſub illo
IESV adoro, qui pugillo
Terræ rotundum,
Maris profundum,
Cœliqué fines obſides;
Qui corda Regum poſſides.
Factus, orbis es creator,
Hujus orbis Imperator:
Regnas amando,
Et me cibando,

Cunctisq; major Regibus
Amoris es sub legibus.
Ante tanti amoris aram
Stratus, Imperi tiaram,
Globumq; pono,
Vultuq; prono,
Servum tibi me prædico,
Me mancipo, me dedico.
Pro me IESV, pro coronâ;
Te repende, te redona:
Dona teipsum,
Dedi meipsum,
Agnosco te pro Principe;
Rex esse cordis incipe.
Christe PANIS Angelorum,
Care PANIS Austriorum,
Honoris author,
Domusq; fautor,
Tu regna nostra dirige,
Te diligentes dilige.

Scep-

Sceptra gesto; tu dedisti:
Tu bonorum fons fuisti:
Per te guberno,
Et quando cerno
Hoc te favente sydere,
Amo tibi confidere.
Esto pro me præliator,
Esto pacis Imperator;
Vt prælianti,
Et imperanti
Cum pace, cum victoriâ,
Tibi sit omnis gloria.

SYMBOLVM EVCHARISTICVM

Fax ardens tradita de manu in manum.

EPIGRAPHE

NON LASSABOR.

Omnes

OMNES SITIENTES VENITE AD AQVAS: ET QVI NON HABETIS ARGENTVM, PROPERATE: EMITE ABSQVE ARGENTO, ET ABSQVE VLLA COMMVTATIONE VINVM, ET LAC. Isaiae, LV.

AFFECTVS

EVCHARISTICI

OMNIBVS

IESVM AMARE

CVPIENTIBVS.

CANTVS I.

COMMVNIO.

QVARE APPENDITIS ARGENTVM NON IN PANIBVS: ET LABOREM VESTRVM NON IN SATVRITATE. ISAIÆ. LV.

CHRISTIANE

VITA NOSTRA catena desideriorum est: his viuimus; his immorimur. Finis præsentis desiderij, initium est futuri : appetendi non

non eſt finis. Spe lactamur adulti etiam & ſenes. Quid eſt ſpes niſi appetitus? quid appetitus niſi fames? Fame lactamur; mirumne ſi eſurimus? alimur ſpe, in ſpem alteram; ſemper auidi nunquam ſaturi. Voluntatem famelicam fecit natura; ſed cœcam: eo vadit quò ducitur; etiam in præcipitium. Ducimus ad opes, ad delicias, ad res terrenas. Miſeri non cognoſcimus famem noſtram. Ridemus parturientium quarundam enormes appetitiones: ridendi magis, qui terram appetimus, dum cælum parturimus. Parturimus enimuerò, non parimus. Deſideria quæ cœlo ſeminante concipimus, vel ſuffocamus in ſemine; vel in monſtra rerum objectu

ter-

terrenarum deformamus. Ad cælum; ad cænam magnam; ad Agni nuptias spes evocantur; cur auocamus? Si amabiles sunt nuptiæ: quid Regiæ? quid cælestes? Fugimus tamen; & ô Deus bone quid obtendimus? VXOREM DVXI: VILLAM EMI. O curuæ in terras animæ! QVARE APPENDITIS ARGENTVM NON IN PANIBVS? Non auditis minantem Sponsum NEMO VIRORVM ILLORVM GVSTABIT CÆNAM MEAM? NON auditis amori imperantem suo, EXI CITO IN PLATEAS ET PAVPERES AC DEBILES INTRODVC HVC? Advola, si pauper es.

RHYTHMVS I.

SVM pauper ô IESV,
Et pauperem me dictito,
Tuique PANIS esu
Stipem petendo victito.
Amoris ostiatim
Mendico stans ad ostia;
Te quæro nominatim
Te IESV, Amoris hostia.
Tu PANIS, atque mustum
Amoris es pro ferculo:
Peto PANIS inde frustum,
Negabis hoc pauperculo?
Fateor nimis pudenda
Petentis est indignitas;
Sed eò magis stupenda
Erit tui benignitas.
Ignosce si petendo
Sim forsan importunior;
Fit edendo, fit bibendo
Amor meus jejunior.

TE

RHYTHMVS II.

TE PANIS alme gaudet
Egena mens agnoſcere,
Et eſurit, nec audet
Miſella micam poſcere.
Sine veſte nuptiali
Tam vile mendicabulum,
Ab amore liberali
Cæleſte poſcat pabulum!
Quâ fronte? quo colore
Petatur hæc felicitas?
An fortè quod pudore
Non ducitur mendicitas?
Pudet immo; ſed latentem
Te Chriſte mox vt intuor,
Me prævenis egentem,
Et veſte amoris induor.
Dum pono in ore fruſtum,
Dum recreari geſtio:
Simul hominem vetuſtum.
Depono, Chriſtum veſtio.

NON

RHYTHMVS III.

Non eſt (ais) decorum
Sic ſe Deum demittere;
Canibuſque, filiorum
Panem vorandum mittere.
Domine etiam catelli
Micas cadentes colligunt;
Et devorant miſelli
Quod aſſidentes porrigunt.
Quid quæro? quæro micam:
Hanc vnicam conceſſeris;
Omnes (parumne dicam)
Omnes opes congeſſeris.
Qui me coëgit ardor
Hoc Panis expetiſcere;
Solet ille cum retardor,
Sicut catellus hiſcere.
Miror, quis iſte Panis,
Quæ vis, quis ardor inſitus;
Vbinam, quibuſve granis
Vel quâ molâ ſit pinſitus.

Amoris

RHYTHMVS IV.

AMORIS iſte PANIS
E flore fit primario;
Ductis proinde granis
Amoris è granario.
Queis grana conteruntur
Extant molæ mirabiles;
Vi Spiritûs aguntur,
Ventóque ſunt verſatiles.
Dolor eſt lapis molaris;
Alæ Crucis Calvariæ
Velatæ Amoris alis,
Alæ molendinariæ.
Sunt grana membra Chriſti,
Et illius ſuſpiritus
Cordis calore miſti,
Sunt ventus, aura, ſpiritus.
Satis eſt, ſuperque nota
Hujus molæ ſuſpenſio;
Molitoris iſta tota
Amoris eſt inventio.

Etiam

RHYTHMVS V.

Etiam cribrum parâſti
Dolor rigoris artibus;
Agni cutem forâſti
In mille, mille partibus.
Amor vrſit vt cribrares
Deum per hæc foramina,
Vt inde far parares,
Et ſanguinis libamina.
Hac nobili farinâ,
Guttâque limpidiſſimâ,
In amoris officinâ
Fit maſſa candidiſſima.
Opereque fit diurno
Structis amoris ignibus;
Imponiturque furno
Notata Iesv inſignibus.
Hinc Panis, hinc bonorum
Fit omnium compendium:
Coquus omnium ſaporum;
Amoris eſt incendium.

AMOR

RHYTHMVS VI.

AMOR hac in arte ludis;
Es piſtor, & fornacula,
Pinſendo quando cudis
PANIS novi miracula.
Tui ſub hiſce formis,
Tuimet obliviſceris;
Nimiumq́; amando dormis;
Sed eſus expergiſceris.
Si ſubter hunc ſaporem
Et hæc Amor convivia,
In ecſtaſis ſoporem,
Langueſcis, ac oblivia;
In me recumbe, dormi,
Et conde luminaria;
Sed & igne ſeptiformi
Incende puluinaria.
Hoc cor ſit oro lectus;
Si turpe ſit, ſi durius;
Amoris igne pectus
Mollitur, & fit purius.

AGE

RHYTHMVS VII.

AGE Piſtor ad laborem,
Flos è farinâ excernitur;
Amor age, pinſe florem,
Divina menſa ſternitur.
Struitur DEO coquente
Cœleſte mundo prandium;
Fiunt DEI placentæ,
Fit PANIS eſca grandium.
Vertaris in ſaporem,
Sit nulla fermentatio:
Quia nulla per tumorem
Fit gratiæ augmentatio.
Bene eſt: Amor laborat,
Paniſque vitæ pinſitur;
Doloŕque collaborat,
Neuter labore vincitur.
Dolore, Amore plena
Dum cribra ſunt, & pocula;
Sonat iſta cantilena
Amoris vnâ voculâ.

CAN-

AGE botre, funde rorem
Doloribus calcantibus:
Ceres age, ſparge florem,
Deus fit eſca amantibus.
Procul Euöe, corymbi,
Thyrſique cum Bacchantibus;
DEVS inſtat, ecce nimbi,
DEVS fit eſca amantibus.
Hominem pluente Cœlo,
Verbis DEVM tonantibus;
Foco Amoris, atque prælo
DEVS fit eſca amantibus.
Cyathus cruore ſpumat
Amoribus flammantibus,
Ceres ardet, ara fumat,
DEVS fit eſca amantibus.
Niueâque vectus Iri,
Et nubibus rorantibus;
Sitibundus eſuriri
DEVS fit eſca amantibus.

RHYTHMVS IX.

DEVS acuendo gustum
Per hæc velut proæmia;
Promit suave mustum,
Amoris è vindemiâ.
Seseque dum propinat,
Inclino me demissiùs:
In me caput reclinat,
Aitque mî submissiùs:
Homo, calicem doloris
Totum libenter ebibi;
Tuamq; suasu amoris
In sanitatem præbibi.
Ah Christe quid reponam
Si te propines crebriùs?
Age spineam coronam,
Gestabo factus ebrius.
Non curo si vacillo;
Amoris vlnis fulcior;
Cantabo, potus illo
Non invenitur dulcior.

RHYTHMVS X.

AIVNT fuiſſe montem,
Et fortè nunc oſtenditur;
Vbi eſt videre fontem,
Quo merſa fax accenditur.
Quid fonte? quid liquore,
Ieſv tuo ferventius?
Calicis tui cruore,
Gelu fit igne ardentius.
Sed fonte ab hoc puſillo,
Fons ille in hoc diſtinguitur;
Quod merſa rurſus illo
Accenſa fax, extinguitur.
Hunc dum ſitire pergo,
Quamvis cor vri cæperit:
Si rurſus ora mergo,
Ardentiùs te deperit.
Nonne hæc tui liquoris,
Paniſque conſecratio,
Incendium eſt amoris,
Orbiſq; conflagratio?

FVMANTE de Veſevo,
Voraginoſis ructibus;
Noſtro videmus ævo
Flammas vomi, cum fluctib'.
Nequit Amor eſſe ſævus,
Nec cor, quod illo tangitur:
In me tamen Veſevus
Fit quando PANIS frangitur,
Quo fonte prodit ignis,
Manant eodem flumina:
Cor ardet abſque lignis,
Et mergit imbre lumina.
Id opinor inde naſci
Quod ſeriùs notaverim;
Me tanto amore paſci,
Qui turpiter peccaverim.
Amor hinc, dolorq́; creſcit,
Cordiſq́ue fit contritio;
Dolore cor liqueſcit,
Amoris eſt ignitio.

ANIMVS meus fit ignis
Dum rore Christi aspergitur:
Albentiorq; Cygnis
Hac dum sub undâ mergitur.
O digna res stupore!
O insolens spectaculum!
O plena res amore!
O ardor! ô miraculum!
Animum liquore cingi
Reddiq; prorsus igneum!
Rubro cruore tingi
Et evenire cygneum!
Credo hîc latere Numen,
Et ex Olympi montibus
Hoc emicare flumen,
De quinq; Christi fontibus.
Quot in orbe sunt olores,
Quos afflat aura Numinis;
Suos canunt amores
Ad hujus oram fluminis.

RHYTHMVS XIII.

QVAM prodigus fuiſti
Rerum ſub vmbrâ vilium
Pater æviterne Chriſti
Donando nobis filium.
Hic omnium favorum,
Hic eſt amorum maximus:
Hinc omnium bonorum
Fontem perennem traximus.
Nam jure poſſidendi
Habere verbum Regium;
Eſt omnia obtinendi
Habere privilegium.
Quod amabimus rogare,
Verbo tuo obtinebimus:
Te, ſi voles negare
Verbi dati monebimus.
Nec habebimur ſuperbi
Hinc ſi petamus æthera:
Talis tenore Verbi
Subaudiuntur cætera.

RHYTHMVS XIV.

VERBI caro ſuavis,
Cæli recludens oſtia,
Eſt porta, cardo, clavis,
Templum, Sacerdos, Hoſtia.
Piaculare ſacrum,
Eſt expiandis ſordibus:
Eſt ignis, & lavacrum,
Pro balneandis cordibus.
Quicunque puniuntur
In igne decretorio;
Hoc balneo abluuntur;
Hoc fonte purgatorio.
Hac expiatur arâ
Confeſſa vitæ fæditas;
Hâc redditur ſub arrhâ
Amiſſa cæli hæreditas,
Omnis rebellionis
Communis eſt amnyſtia,
Eſt pignus vnionis,
Et pacis, Euchariſtia.

SACRA

RHYTHMVS XV.

SACRA quod eſt in Arâ
Reconditum Ciborium
Honoris eſt tiara,
Amoris eſt tentorium.
Mannæ ſuavis vrna,
Et mellis aluearium;
Et turris eſt eburna,
Et Regis eſt ærarium.
Hac turre ſigna ſplendent
Cæleſtium cohortium:
Clypeiq́; mille pendent,
Et arma cuncta fortium.
Qui ſtipat Angelórum
Chorus, ſtupore percitus:
Senatus eſt Amorum,
Amoris eſt exercitus.
Sub amore militare
Non eſt labor ſed gloria:
Confligere eſt amare,
Se dedere, eſt victoria.

VEXIL-

VEXILLVLO ſub albo
Dux Chriſtus eſt primarius;
Inſcriptus ejus albo,
Mileſque ſum gregarius:
O quàm ſtupenda fingit
Vt det mihi ſtipendia!
Se cariora ſtringit
Amoris in compendia.
Fit PANIS, immo nummus,
Et hunc ſuis inſignibus,
Vt ſit valore ſummus,
Suiſq; format ignibus.
Habet hæc moneta curſum
In gratiæ commercijs;
Expenditurque ſurſum
Vel mille pro ſeſtertijs.
Quinimmo (quæ valoris
Illius eſt infinitas)
Hac caritate Amoris
Emi poteſt Divinitas.

TE Chriſte quando ſumo,
Meum tibi cor venditur;
Argenteoq; numo,
Libens volens expenditur.
Agnoſco quâ fodinâ
Eductus iſte argenteus
Quâ factus officinâ,
Sit iſte numus entheus.
Homo-Deus igne fuſus
In laminam diſtenditur,
Et Amoris arte cuſus,
Fit numus, atq; expenditur.
Pretioſa ſit ſit vlla
Amoris eſt pecunia:
Eſt ominata bulla,
Adverſus infortunia.
Cœleſtis hâc monetâ
Acquiritur felicitas;
Emuntur arva læta,
Beata fit mendicitas.

RHYTHMVS XVIII.

Ibo ergo, militabo
Tuis Amor ſtipendijs:
Dei cor occupabo,
Novis viæ compendijs.
Volo ſuperare Cælum,
Amoris altus pabulo;
In ore geſto telum,
Cum candido venabulo.
Puto pectus eſſe tutum
Ab Angelis rebellibus;
Gero circulare ſcutum,
Fultum Leonis pellibus.
Si vibret hoſtis arma,
Sum certus hoſtem pellere:
Hâc me tegente parmâ,
Et hoc amoris vellere.
Amor ibo per phalanges,
Et mille per pericula;
Inimica collá franges,
Panis vibrabo ſpicula.

E can-

E candida feneſtrâ
Me præliantem cernere,
Cupis Amor; in palæſtrâ
Dum conor hoſtem ſternere.
Quinimmo tela mittis
Quibus mihi cor figitur;
Mecumne ſic ſagittis,
Sic ô Amor confligitur?
Tibi ſi repugno, parce;
Debes mihi te tradere,
Vel in ipsâ Amoris arce
Te lingua vult invadere.
Vbi cæpero ligatum
Per vim, per aut aſtutiam;
Patri tuo immolatum,
Vivumq; te deglutiam.
Vocabis efferatum?
Non eſt amor crudelitas
Sub Pane te ſacratum
Vorare; ſed fidelitas.

Mihi Pane comprehenſum
  Edendo Iesvm nexui;
  Omnem proinde ſenſum
  Humanitatis exui.
Nam nexibus cor illis.
  Factum Deo vicinius,
  Deiformibus ſigillis
  Factum quoq; eſt divinius.
Dum carne Chriſti ineſcor,
  Et os cruore perluo;
  Humanitate veſcor
  Divinitatis helluo.
Non curo ſi vocetis
  Me voce græcâ Barbarum;
  Sed nolo nominetis
  Vllo modo me Tartarum.
Hominem-Devm voravi,
  Vt contremiſcant Tartara;
  Sed Diva quam vocavi,
  Amat vocari Barbara.

Cvr Christe Pane tectus
Vocaris Eucharistia?
Hic Panis, estne lectus
Amoris? an charistia?
Cum tota in hoc coquendo
Sit occupata Trinitas,
In eoque condiendo
Caro tua, & Divinitas,
Omnes sub hoc Amores
Clauduntur, & solatia;
Omnes simul fauores
Coguntur, omnis gratia.
Charitumq; tot sacrarum
Amabilis coactio;
Est summa gratiarum,
Et summi Amoris actio.
Epulumque Panis iste
Vocatur Eucharisticum;
Quia tanto amore Christe,
Corpus cibâsti mysticum.

Ergo ſub his latebris,
Sub vite, ſub ſiligine,
Sol conditur tenebris,
Obuoluitur caligine?
Ergo Dei propago
Sub vitis eſt propagine?
Patris ergo viua imago
Sub Panis eſt imagine?
O Solis æuiterni
Mirabilis defectio!
Amoris ô ſuperni,
Eclipſis & perfectio!
Hujus labore lucis,
Non vmbra fit, ſed claritas:
Quo me per iſta ducis
Diuini Amoris caritas?
Dum Pane condis Agnum,
Hâc dum ſub vmbrâ deficis:
Tu luminare magnum
Noſtris diebus præficis.

RHYTHMVS XXIII.

Sol igneâ quadrigâ
Vectus, Poëtis fingitur:
Et Luna vecta bigâ
Per noctis vmbras pingitur.
Nec vt iſta Chriſte Luna,
Nec Sol vt iſte volueris;
Rotâ ſtupendus vnâ
In cor meum deuolueris.
Illius àxe vectus
Dies Amoris perficis;
Noctemq́ue nube tectus
Flammis tuis interficis
Oris patentne valuæ?
Per os vehi ad cor incipis;
Et lingua & ora ſalue
Clamant, ad ortum Principis.
Sic ad cor, oris eſu
Rotâ volutus vnicâ,
Sic ſemper, ô Iesv
Mihi diem communica.

Ea rota, cujus axis,
Eſt ipſamet Diuinitas;
Quæ dicitur Synaxis,
Et cum Deo vicinitas.
Rota ſimul eſt, & ignis;
Nec currus vnquam ligneus;
Panis ſubeſſe ſignis
Putandus eſt; ſed igneus.
Ratus inuenire prædam
Quæ dente cordis manditur;
Reperi fuiſſe rhedam
Quâ verſus aſtra ſcanditur.
Non eſt ſub hoc eduli
Non eſt Amor volatilis:
Eſt ignis in curuli
Inſtar rotæ verſatilis.
Per os ad ima vergit,
Flammamque certus edere;
Cor occupare pergit;
Quis nolit illi cedere?

MEA tibi, meque dedo
Iesu mei sis incola:
Vis forsan esse prædo?
In pectus, in cor inuola.
Tu scis meum cor esse
Cœleste clauicordium:
Si pandere est necesse,
Es ipse clauis cordium.
O pande sacra clauis,
O pande mî cor funditus:
An esse Christe mauis,
In intimis absconditus?
Igitur eamus intrò,
Vocum tonò concordium
Canemus; en cor intro,
Tu claude clauicordium.
Et perge fila cordis
Amoris arcu tangere;
Concordibusque chordis,
Rhythmos Amoris pangere.

CANTVS II.

VNIO.

QVI EDVNT ME ADHVC E-
SVRIENT ; ET QVI BIBVNT
ME ADHVC SITIENT.
ECCLES : XXIV.

CHRISTIANE

VERA fames sanctorum est, satiari, & semper appetere. Vera paupertas beatorum est: nil habere, & omnia possidere. Non satiatur oculus visu; nec auris auditu impletur. Venefici sunt sensus; dementant. Sirenes sunt; incantant. Phantasia Circe est; propinat terrenarum rerum imagines; personam immutat. In Leonem, in Tygridem, in belluam degenerat qui cupiditatibus efferatur. Exuendus es belluinis affectibus; qui Deum appetis. Sensuum præ-

stigijs

ſtigijs non paſcitur animus; ſed irritatur. Quæ malúm; eſt iſta ſenſuũ importunitas? E cælo legatus venit animus: explorandũ eſt quid velit; non ſuggerendum. Nemo prudens homini eſurienti fænum apponit. Quid intereſt fænum corpori miniſtres; an aurum animo? Cæleſtis eſt animus; è cælo vivit. Nobiles, ignobiles, omnes ad januam magni Patris ſtamus. Quid petimus? Panem quem Deus coxit. Noſtin' hunc panem Chriſtiane?

Qvis

QVIS Panis eſt? quis iſte
Quo te ſoles obnubere!
Amabo, viſne Chriſte,
Velo ſub iſto nubere?
Mens credit eſſe velum,
Et nuptiale flammeum:
Cor ſentit eſſe telum,
Totum fit ictu flammeum.
Ego circulare nunquam
Hucuſque vidi ſpiculum;
Nec ſuſpicabar vnquam
Hinc vulneris periculum.
Tibi Chriſte me ut ferires
Quis tale telum præbuit?
Amor hoc ut invenires,
Inventor eſſe debuit.
Puto vis perire Mundum
Per vulnus inſanabile;
Vulnus quod eſt rotundum,
Habetur incurabile.

Cor eſt triangulare,
Amor facit periculum
Poſſitne circulare
Quadrare cordi ſpiculum.
Vt cor meum repleret,
Panis ſub orbe factus eſt:
Vt amando poſſideret,
In circulum redactus eſt.
Meus amor ore mandit;
In ore Panis ſolvitur;
Cor ſeſe amore pandit,
Et circulo convolvitur.
Sed circulo ſtupendo,
Quo circinando Trinitas
Impenditur, replẹndo
Abſumitur Divinitas.
O nobilis Matheſis!
Amor replendo corculum;
Dapibus Amoris eſis,
Facit quadrare circulum.

Centro carens rotundum
  Amoris iſte miſſus eſt;
  Fundo carens profundum,
  Sublimitas, abyſſus eſt.
Quod eſt ſub hoc rotundo
  Vltra polos extenditur;
  Eſt majus hocce Mundo,
  Puncto tamen comprenditur.
Illius eſt vbique
  Centrum, quod eſt Divinitas;
  Vbique nullibique
  Eſt ambitûs infinitas.
Quis Chriſte te manere
  Hoc Panis albi cruſtulo?
  Quis credat hoc latere
  Immenſitatem fruſtulo?
Vnâ ſubinde micâ
  Tu te ſoles includere,
  An fraude vis amicâ
  In orbe mecum ludere?

Hæc parva Magna-cæna
Hæc mica, Amoris xenium,
Eſt ludus, aula, ſcena,
Et actus, & proſcenium.
Præit inchoando drama
Chorus ſacrarum mentium;
Sunt ejus acroama
Honor, ſtupor, ſilentium.
Calvaria exhibetur
Gethſemaniq́ue prædia,
Sub nubibus videtur
Paſſi DEI tragædia.
Dum Chriſtus in placentâ
Litatur, eſt proluſio:
Cataſtrophe, incruenta
Cruoris eſt effuſio.
PANIS, meriq́ue larvis
Perſona Chriſti abſtruditur;
Sub rebus hiſce parvis
Ad maximas alluditur.

, terra, luna, ſtellæ
li micantis ſydera
dite, & ô rebelle
di cor, & conſidera.
PANIS hic ſacratur,
idite, res eſt ſeria)
Deus Amor immolatur.
Inter ſacri myſteria.
Quem fudimus cruoris
Chriſti repræſentatio,
Eſt pacis, eſt Amoris
Læſi redintegratio.
Omnes rei tenemur,
Natum Dei cecîdimus,
Patremque demeremur
Dicendo, nos occîdimus.
Homo, nunquid hæc cruoris
Et carnis immolatio,
Portenta ſunt Amoris,
Amoris excæcatio?

RHYTHMVS VI.

TAM perditè qui amaret
Dic, quis Monarcham viderit,
Vt ſervulos cibaret,
Qui filios occiderit?
Quem cæperint ſuorum
Suiq́ue tanta oblivia;
Vt carne filiorum
Inſtruxerit conuiuia?
DEVS amat hoc amore,
Cum filium peremerit,
Ejuſq́ue me cruore
Cibârit, ac redemerit.
En vt mihi medetur,
Et vt ſeipſum decipit;
Mei loco, ſecetur
Vt vena nato præcipit.
Pro tanto Amore faxo
Amem DEVS te puriùs:
Si non amabo, ſaxo
Dicam cor eſſe durius.

DEVS

DEVS meus latendo
Sub PANIS accidentibus,
Magnes es attrahendo,
Et ignis accedentibus.
Accedo cum tremore,
O si cor esset purius!
Cum corde puriore
Accederem securiùs.
Tui tamen fauoris
Prostratus ante limina,
Et pœnitens, prioris
Abjuro vitæ crimina.
Vellem niue ô IESV
Et esse sole mundior;
Tunc PANIS hujus esu
Existerem jucundior.
Quia sugo tot fauores
Ab hoc Amoris vbere;
Mei volunt Amores
Tuis IESV nubere.

RHYTHMVS VIII.

Ab amore miſſa puro
   Sunt Gratiæ dotalia:
   Per verba de futuro
   Contraximus ſponſalia,
Nunc tempus eſt inire
   Solenne matrimonium:
   Studet amor inuenire
   Pro nuptijs obſonium.
Homo-Deus ſapores
   Laborat admirabiles;
   Facit ſuos Amores
   Sub fruge manducabiles.
Seſe inſerendo Pani
   Terreſtre totum corrigit;
   Inſtarque Pellicani
   Suum cruorem porrigit.
Dum ſumo præparatum
   His ferculis ſolatium;
   Oris mei palatum
   Cœleſte fit palatium.

RHYTHMVS IX.

MENTES adeſte cœli,
Adeſte, & admiramini:
Homines amore anheli
Adeſte, inebriamini.
Adeſte, nuptiale
Amor facit conuiuium;
Epulumque principale
Eſt eſca Cœli ciuium.
Ab amore nil acerbum,
Nil inſuaue ponitur;
Amoris arte Verbum
Factum caro proponitur.
Potus datur cruoris;
Nec iſtud eſt immanitas;
Fons iſtius liquoris
Amoris eſt Humanitas.
Deus eſt, Amorque totus
Harum ſub vmbrâ nubium,
Eſt menſa, cœna, potus,
Et ſponſus & connubium.

RHYTHMVS X.

IESV ſacrata ductus
Amoris in cellaria,
Guſtare vina, fructus,
Delector, & bellaria.
Tuus ille quem ſitiui
Sanguis, bibendus promitur:
Tua caro quam cupiui
Mî ſub placentâ ponitur.
Inebrior bibendo;
Et creſcit appetentia,
Creſcit fames edendo,
Et mergor affluentiâ.
Non quæro quo ſapore
Mandēdo lingua inſpergitur:
Deus amor eſt in ore,
Meuſque in illo mergitur.
Fruar hoc amore Chriſte,
O ſemper hoc conſortio;
Semperque PANIS iſte
Vitæ meæ ſit portio.

O PA-

O PANIS Angelorum!
Amoris ô edulium!
O potus! ô Amorum
Thesaurus, & peculium!
O Gratiæ fodina!
O Gloriæ commercium!
Virtutis officina
Cælestiumq́; mercium!
O PANIS Eucharites!
PANIS Dei primarius!
PANISq́; saccharites,
PANISq́; dulciarius!
O potio stupenda!
Amoris ô jentaculum!
Amoris ô merenda,
Instructa per miraculum!
O cæna nuptialis
Quâ sponsus ipse sumitur;
Nimiumq́; liberalis
Divinitas absumitur!

RHYTHMVS XII.

O QVAM ſuave lumen
Sub nube PANIS enitet!
Me non amaſſe Numen
DEI latentis pænitet.
Ne Chriſte pœnitentem
Ne ſupplicantem deſpice:
Amare te volentem
Amoris vmbrâ reſpice.
Per iſta ſacra juro,
Iuro tibi ſolenniter;
Poſthac Amore puro
Amare te perenniter.
Ibo, ibo nuntiabo
Amando me quid feceris;
Vbique prædicabo
Quod fulgur in me jeceris.
Et vt ego ſyderatus
Amoris albo fulmine;
Suſpiro naufragatus
In te bonorum culmine.

MEA lingua quid vacillas
  Amoris icta missili?
  Amoris in favillas,
  In mille flammas dissili.
Salamandræ habere squammas
  Nec opto, nec desidero:
  Mihi cor per hasce flammas
  Mori libenter videro.
Amantis est perire,
  Hæc ejus est fatalitas:
  Amoris est ferire,
  Ictu fit immortalitas.
Volo tamen esse tectus
  IESV tuis insignibus:
  Volo simul inde pectus
  Ardere, sacris ignibus.
O quæ beatitudo
  Ardere te medullitus!
  O quanta suavitudo,
  In te perire funditus!

RHYTHMVS XIV.

IESV nec es libido,
Amor nec arcu lethifer:
Tamen es meus Cupido,
Et es DEVS ſagittifer.
Tua quando tela vibras
Cupido ſancte cordium,
Popularis igne fibras,
Nihil relinquis ſordium.
Si quæ moleſta mittis
Ne noſtra creſcat vanitas;
Ejuſmodi ſagittis
Fit vulnus, & fit ſanitas.
Cum noxa, quando nævus
Mentis venenat intima;
Tum tu ſuave-ſævus
Cor pungis, exit lachryma,
Hac effluit venenum;
Amor ſubit præcordia;
In mente fit ſerenum;
In corde fit concordia.

PROCVL

RHYTHMVS XV.

PROCVL hinc, procul libido,
Et Cypridis cupidines:
DEVS est meus Cupido;
Fædæ procul libidines.
Procul este turpitudo,
Peccata, noxæ, insaniæ,
Foras amaritudo,
Foras, foras infamiæ.
Scelerum cavere molem,
Labes volo, & labeculas:
Me inter, meumque solem,
Nullas volo nubeculas.
Quod albicante velo,
Quod PANE sol obnubitur,
Amor est; sub hocce cælo
Cum Caritate nubitur.
Eclipsis hæc Amoris,
Est summa lucis puritas.
Est candidi coloris
Cortina, non obscuritas,

O QVAM

O QVAM ſuavis es tu,
Qui PANE ſic te texeris,
Vt vno amoris æſtu
Omnes amores vexeris.
Eſt tam ſuavis illa
IESV tui præſentia
Quam ſuavis è papillâ
Eſt lactis affluentia.
Non eſt amaritudo
In te, nec ulla pravitas;
Sed ſumma dulcitudo,
Et pura puta ſuavitas.
Vt illè trans labella
Cœleſtis orbis voluitur,
In nectar, inque mella
Amor meus reſoluitur,
Omnes vehis ſapores,
Es melle multo ſuavior;
Ego te meos amores,
Amore, & ore ſuavior.

Mortalibvs misellis
Hic Panis est granarium;
Est officina mellis,
Vitæque seminarium.
Est orbe sub pusillo
Amoris vniversitas;
In candido quasillo
Florum omnium diversitas,
Est ignis in lucernâ;
In annulo carbunculus;
Latensque sub cavernâ,
Cordis mei latrunculus.
Est nux amore vesca,
Est nucleus sub cortice;
Hac hamus est sub escâ,
Abyssus est sub vortice.
Sub albicante ramo
Cæleste rete tenditur;
Devs hoc tenetur hamo,
Vt prêndat, ante prênditur.

RHYTHMVS XVIII.

IGNORO amorne rete
  IESV tibi tetenderit,
Te noctis in quiete
  An ecstasi prehenderit?
Ab amore carceratus
  Es PANIS albo carcere:
Quod amore sis ligatus,
  Debes amori parcere.
Tu te volens ligâsti,
  Nam verba Christe singula
Quæ rite consecrasti
  Fuêre Amori cingula.
Nec esse vis solutus,
  Ni te per per os trajecero:
Sed Christe, sumne tutus,
  Ad cor viam si fecero?
Si PANIS orbe cinctum
  Os te meum comederit;
Solvêre, meque vinctum
  Amor tuus possederit.

PER

RHYTHMVS XIX.

PER alba vincla vincis
Tuis Amor me nexibus;
Seu vinco, ſive vincis,
Morabor in complexibus.
Amabo, amore ſtrictus
Amoribus te cingere:
Ero victor, atque victus,
Amabimus nos ſtringere.
Quæ vita, quæ voluptas
Necti ſupremo Numini!
In me videre nuptas,
Suo tenebras lumini!
Dei videre junctum
Cordi meo, cor intimum!
Immenſitate punctum,
Summo redundans infimũ!
O Chriſte grande munus
Eſt hæc tui communio:
Sic de duobus vnus;
Sic cordium fit vnio.

In

RHYTHMVS XX.

In ſummitate linguæ
Deum Panis iſte ponitur,
Epulum ſuave, pingue
Cordi meo proponitur.
Deus! ô tuos favores!
Quid filijſne prodigis
Sic integros Amores
Micâ ſub vnâ prodigis?
Admiror, obſtupeſco,
Vox deſit ac anhelitus,
Amore colliqueſco
Et igne miſſo cælitus.
Scio tritici eſſe florem,
Sed me latet quid egeris.
Cur Panis in ſaporem
Omnes opes prodegeris?
Vt Pane me cibares,
Hic Panis in te verſus eſt:
Dum poculum parares,
Amor tuus ſubmerſus eſt.

Sed

Sed Christe cur latebras
  Panis sub vmbrâ quæritas?
  Cur candidas tenebras
  Si lux es, atque Veritas?
Putasne possit ignis
  Ardendo delitescere?
  Amat amor ipse signis
  Ardoris innotescere.
Vt Panis, vt liquoris
  Te sub figurâ texeris;
  Semper rogos Amoris,
  Vivasq; flammas exeris.
Meum cor experitur;
  Sumendo te, comprenditur;
  Tangendo té, feritur;
  Mandendo te, succénditur.
Nihilominus vocari
  Deus soles absconditus;
  Sub nube vis amari,
  Et occupas me funditus.

RHYTHMVS XXII.

Amo, ante non amavi;
Cibis Iesv cælicis,
Et amore tam ſuavi
Meos Amores elicis.
Quid, amabo, quæris vmbras:
Vt temperes vim Numinis?
Cur Pane ſic obumbras
Tui favores luminis?
Amor, Amor abſque velo
Videre te deſidero:
Non invidebo Cælo
Te Chriſte, ſi te videro.
Times creare mortem
Vitalis ictu ſyderis?
Bonam putabo ſortem
Amando ſi me occideris.
Meminiſtin' ô Iesv
Quod me tibi devoverim?
Si noſti; amoris eſu
Fac me mori, vt te noverim.

DVM PANE me ſatullas
In corde telum figitur,
Cremas Amor medullas,
Dum vulnus hoc infligitur.
Seca, vre, non reſiſto;
Si millies exiſterem,
Ego mille corda Chriſto
Transverberanda ſiſterem.
O PANIS! ô ſagittæ!
O Chriſte! pectus infimum
Invade, tela mitte,
Incende cordis intimum.
Non curo ſitne funus
Sit flamma juncta muneri:
Eſt ipſa flamma munus,
Eſt vita juncta funeri.
Amóris igne paſcor,
Nullum fit hinc diſpendium:
Incendor, & renaſcor,
Vivo per hoc incendium.

RHYTHMUS XXIV.

Mihi ſolvitote juſta
Curate mî funebria;
Anima mêa ſemi vſta
Amore languet ebria.
Ab amore facta præda
Amoris eſt venabulo;
Amoris vſta tædâ
Eſt, igñeoq́ue pabulo.
Vagabar in tenebris
Nullum timens periculum,
Deus Amor è latebris
Direxit in me ſpiculum.
Mecumq́; porrò pergit
Amoribus confligere;
Et me cruore mergit,
Amatq́ue me configere.
Si Chriſte amando perſtes,
Sum mortis in confinio;
Moriendo ſum ſuperſtes,
Phœnicis inſtar finio.

Iesv

RHYTHMVS XXV.

Iesv ſub his figuris
Amando deliteſcere,
Tu me potenter vris,
Et cogis exardeſcere.
Cor Amoris igne tactum
A me meum divellitur;
Amoribusq́; tractum
Amare te compellitur.
O Caritas ſtupenda,
Si nunc amo te ſeriùs,
Ad damna ſarcienda
Amabo te ſynceriùs.
Res nulla, nulla, nulla
Erit mihi te carior,
Cordis mei ô medulla,
O vmbra ſole clarior.
Non curo Regna mille
In te Deus nil deficit;
Nimis eſt auarus ille,
Cui Deus non ſufficit.

VNVS

VNVS SVFFICIT CHRISTIANE

Qvi Finem collocat vbi finis est, sui certè mensuram non novit. Animum nulla res capit, nisi Devs. Res finitæ curtæ sunt, & angustæ. Non continetur Animus corpore; sed illud continet, & alios sibi fines quærit. Vestitur affectibus Animus; quod appetit, hoc induit. Aqua vasculi, Animus rei cui afficitur formam induit; aptè, si contentus. Qui vt finem inveniat ad Principium redit, & in infinito finem quærit ille contentus est; Devm induit. Hic vnvs continendo Animo,

VNVS SVFFICIT.

Minvs

MINVS TE AMAT DOMINE,
QVI TECVM ALIQVID AMAT,
QVOD NON PROPTER TE
AMAT. AVG. SOLILOQ. XIX.

VIENNÆ AVSTRIÆ
TYPIS VIDVÆ MATTHÆI
FORMICÆ
ANNO M. DC. XL.